

tates, circumscriptionem, et complexionem accidentium seu specierum; cum inficiarentur haeretici illi, Christum, saltem post ascensionem, illas retinuisse, aut retinere (a); ad eos propterea refellendos proferebant Patres exemplum eucharistiae, que ita dicitur corpus Christi, ut in ea remaneant impermixtae naturales proprietates panis, quas liberiori stylo vocabant *naturam seu substantiam*. Posterior haec responsio planior et verisimilior videtur.

S. Justinus vero in eo eucharistiam cum incarnatione comparat, quod quemadmodum in incarnatione caro Verbi ab ipso Verbo corpus assumente profecta est; ita etiam in eucharistia panis et vinum caro et sanguis fiant per precem verba ipsius continentem, id est, omnipotentia ejusdem verbi, cuius verba exhibet pectus, seu forma consecrationis. Credebat ergo Justinus carnem Christi adem omnipotentia, qua in utero Virginis formata est, in eucharistie sacramento presentem apponi (b).

Ad 3. Sciscitamus in primis ab adversariis nostris num *consubstantiationis* ac *impanationis* voces elegantes et antiquiores sint voce *transubstantiationis*; deinde D. Nova est quoad sonum, Tr. quoad rem per eam significataam. N. Omnia siquidem documenta, que ex Patribus et antiquis liturgiis protulimus, aliqua pene innumerata, que adduci possent, evidenter ostendunt, coavam esse ipsi Ecclesie, et ab Apostolis originem traxisse doctrinam de conversione panis et vini in sanguinem Christi in eucharistia. Cum de re constat, ridiculum est de voce item intentare. Hac ratione insurgebant adversarii Ecclesiam Sabellianam, eo quod contra eorum novitates illas adoptaverit voces *personae et naturae*; Ariani ob vocem *hounouion*, Nestoriani ob appellacionem *Deiparae*, et ita porro. Sola quippe haereticorum vafritis Ecclesiam quovis tempore cogit ad novas formulas adscendas, ut veterem doctrinam ab ipsorum impio molimine tueretur. Haeretici e converso, cum hac ratione viderint suas machinationes detectas et proritis, sub novi nominis praetextu doctrinae novitatem obtruserunt (c). Fueum prouinde imperitis faciunt novatores nostri, dum clamat, in concilio Lateranensi IV. transubstantiationis primum invectam esse catholicam doctrinam, ex eo quod concilium illud adversus Berengarianos a scholasticis jampidem adoptatam transubstantiationis vocem auctoritate sua sancxit et confirmaverit.

III. Obj. 1. Dogma transubstantiationis sane philosophiae adversatur, juxta quam impossibile est, unam substantiam in alteram converti; cum essentia rerum sint prorsus immutabiles. 2. Ex eo præterea sequeretur, subsianiam corporis Christi corrodere quandoque a muribus, 3. putreficeri, vermes producere, aliaque ejusmodi non minus absurdia, quam dictu impia. Ergo.

(a) Cf. Petav. *De Incarn.* lib. I. c. XIV. seq. et Lud. Habert. *Tract. de Euchar.* cap. XIV.

(b) Cf. Maran. *ad opp.* S. Justini p. III cap. IX.

(c) Apposite s. Athanasius in epist. decretis Nic. syn. n. 21. sic Arianos perstringebat, qui accusabant Nicenam synodum, eo quod novas voces induxisse: Si verba ista velut nova ac peregrina admittere reeasant: sententiam ipsam admittant, quam synodus his indicare voluit: et quibus illa anathema dixit, ipsi similiter dicant anathema, ac de cetero, si possint, verba reprehendant..... Sin autem sententiam ipsam velut redargueret, omnibus patet, frusta illos nullaqua de causa verba reprehendere, sed solus occasione impietatis confirmans: sibi ipsis fingere. Haec igitur causa fuit, cur hujusmodi voces fuerint instituta. Quod si rursus murmurarent, quod illæ in scripturis non extant, hoc ipso, tanguam fuitiles, et mente non sani, sunt rejiciendi. Seipso porro hic etiam potissimum accusat, quod primi huic rei locum dederint, qui ipsi excoigitatis vocibus, quæ in scripturis non habentur, bellum Deo ceperint inferre. Opp. ed. Maur. T. I. P. I. p. 226. seq.

(d) Cf. Vasquez. in Hil. p. s. Th. dispens. CX, cap. III. seqq.

R. ad 1. D. Prout ab adversariis fingitur. G. prout ab Ecclesia credendum proponitur. N. Si quod dogma est, in quo adversarii monstrum sibi inventisse autem, profecto est istud, quod propugnamus. Existimant siquidem per transubstantiationem significari transitum ex una substantia tanquam medio aut materia in alteram, ita ut una substantia, aut aliquod individuum unius substantiae, fiat alterum, quod repugnare clamant. At nil tale credendum proponit Ecclesia catholica, sed solum conversionem unius substantiae in alteram, refinquis doctoribus dissentendum, quod qualesque conditions requirantur ad veram ac proprie dictam conversionem constituantur. Denuo vera conversio in tuto sit, reliqua dogma non constituent (a). Porro nos cum Vasquezio, Veronio, aliisque diximus, hanc conversionem fieri per cessationem, seu destructionem unius substantiae, nempe panis et vini, in ordine ad positionem alterius, nempe corporis et sanguinis Christi, ita ut conceptus, seu ratio formalis transubstantiationis, consistat in relatione unius termini qui desinit ad alterum in quem desinit, ut Christi verba sint vera. Jam vero quid absurdum aut quid factu impossibile in ejusmodi explicazione inventum adversari? Itaque sibi imputare debent increduli, aut haeretici, si quid absurdum videntur sibi deprehendere in fidei nostræ dogmatibus, minime vero fidei ipsi, prout ab Ecclesia catholica proponitur (b).

Ad 2. N. Cum enim gloriosum ac spirituale Christi corpus, ut ipsum vocat Apostolus (c), sub symbolis spirituali prorsus modo, seu sacramentali, et ad modum spiritus praesens sit in eucharistia, non magis dici potest illud corredi a muribus, comburi, pedibus calciari, quam divinitas, que licet ubique substantialiter sit praesens, nec corriditur, nec comburitur, nec pedibus calcatur. Ut enim minime Deum dedit presentem esse mori, cani, luto et sordibus; ita nec Christi corpus dedit reperi aut in mure aut in sordibus. Sola phantasia nostra ea est, qua nescio quem horrorem sibi configit in his, qua per se nihil sunt.

Ad 3. N. Cum Deus deus producat materialia ad occultandum mysterium, ne experimentum humana rationis aut sensum tollat fidei meritum. Etenim cum species eo devenerint, ut corpus sive materia dissolvi seu corrumpi deberet, cessante reali Corporis Christi praesentia, Deus omnipotens sua iterum producit materialem panis aut vini substantiam in eo statu, quo naturaliter inveniretur, si conversio nulla praecessisset, si fides locum habeat (d). Accedit, vermes ex materia heterogena, qua speciebus adhaeret in generari posse; eos siquidem ex putredine nasci, commentum est, ut alias diximus, a saniori physica jamdiu explosum.

(a) Bellarm. quatuor requirit conditions ad veram conversionem; 1. Ut aliquid desinat esse; 1. 2. ut aliquid succedat in locum ejus, quod desinisse nec sit mera corruptio et annihilation; 3. ut sit conexio quadam et dependenti inter desitionem unius et successionem alterius, ita ut unum desinat et alterum succedat, et vi desitionis fiat successio; 4. ut tam terminus ad quem, sit vere positivus. Adjecti præterea, in conversione eucharistica non habent productionem, sed additionem; cum corpus Christi iam existat, et solum vi verborum consecrationis adducatur in locum panis, qui destruitur, ideoque conversionem esse ad ductivam, non autem productivam. cf. lib. III. c. XVII.

(b) Recte præterea Feller in *Catech. philosoph.* art. *Eucharistie* affirmit perinde esse, negare possibiliter realis Christi praesentie, et transubstantiationis, ac negare Dei omnipotentiam, et prouinde Deum ipsum. «Puisque, ut ipse loquitur, c'est refuser à Dieu le pouvoir de détruire un morceau de pain, et de cacher un corps humain sous ses apparences.»

(c) I. Cor. XV. 44 seq.

(d) Cf. Vasquez. in Hil. p. s. Th. dispens. CX, cap. III. seqq.

CAPUT III. DE EO QUOD SUB QUALIBET SACRAMENTI SPECIE CONTINETUR DEQUE CATHOLICÆ DOCTRINÆ COROLLARIIS.

Propositum et explanatis que ad præcipias atque, ut ita loquar, fundamentales veritates fidei catholicæ circa eucharistie sacramentum spectant, reali scilicet Christi praesentia et transubstantiatione, de quibus potissimum viget controversia cum sectariis, breviores in reliquis esse poterimus. Ista enim ex illis dependent.

Sacramentarii, qui Christum solum in signo, aut figura, aut virtute in sacramento praesentem esse contendunt Catholicorum doctrinam carpunt, qua statuant, Christum vere, realiter, ac substantialiter sub alterutra tantum specie sive panis sive vini contineri. Rident quod Catholicœ docent, vi verborum sub specie panis solum corpus praesens fieri, per concomitantiam vero, ut loquuntur, etiam sanguinem una cum anima et divinitate; sie et sub specie vini vi verborum solum sanguinem fieri praesentem, per concomitantiam autem etiam corpus una cum anima et divinitate. Lutherani obscure, conctanter, ac diversimode circa hunc articulum locuti sunt; idque ut viam sibi facilius sternerent ad evincendam necessitatem sumenda eucharistie sub utraque specie (1). Addiderunt præterea Christum non esse in eucharistia nisi in usu, seu in actu sumptionis, ut hinc inferrent, eucharistiam non esse adorandam. Ad hos præterea errores singillatim convellendos sit

PROPOSITIO I. — In venerabili sacramento Eucharistie sub unaquaque specie et sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totus Christus continetur.

Est de fide his verbis a Trid. sess. XIII. can. II. definita: Si quis negaverit, in venerabili sacramento eucharistie sub unaquaque specie, et sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anath. sit.

Hæc porro veritas est corollarium dogmatis de transubstantiatione; panis enim et vini per consecrationem convertuntur in illud Christi corpus et sanguinem, qui in coelis est, et in eodem statu gloriose; jam vero corpus illud inseparabile est a sanguine, anima et divinitate, et e converso pariter sanguis separari nequit a corpore, anima, et divinitate, ergo sub quavis specie totus Christus praesens fiat necesse est; quod demum non pauci ex ipsis Protestantibus professi sunt (2).

Eam innuit Christus dum Joan. VI. 57. dixit: Qui manducat me et ipse vivet propter me; at non manducatur Christus nisi sub specie panis; jam vero in Christo sunt duæ naturæ in una divina persona sub-sistentes.

(1) Cf. Bellarm. *De euchar.* lib. IV. cap. 21. a n. 1. ad 6.

(2) Leibnitius in *Syst. theol.* pag. 250. «Et quidem, inquit, negari non potest, sub alterutra specie integrum sumi Christum vi concomitantie, ut loquuntur theologi: neque enim caro ejus a sanguine separata est.» Cf. etiam Esslinger in *Apologie de la religion catholique par des auteurs protestants.* art. *Du sacrement de l'autel.* Quidam antiquiores, qui id ipsum fatentur, cf. Bellarm. loc. cit.

Ilic ipsi veritati aperte suffragatur universa traditio. Etenim ex patribus alii affirmant, nos in eucharistia comedere carnem, quam Pater suscitavit, ut loquitur s. Ignatius in ep. cit. ad Smyrnenses; alii, nos Agnum ipsum integre comedere, ut s. Ephrem (1); alii, nos accipere Christum, ut s. Hieronymus (2); ideoque nos effici per communionem Christiferos, ut loquitur s. Cyrillus Hieros. (*Catech. Myst. IV.*); Christum in eucharistie institutione se ipsum propriis manibus gestasse, ut s. Augustinus (3). Hinc recepta in universa Ecclesia praxis eucharistiam cultu latrice adorandi, ut paulo post ostendemus. Porro neque in solo corpore, neque in solo sanguine scorsim sumptis habetur aut caro Christi vivificata, aut Agnus integer, aut Christus, aut denique cultus latrice objectum, sed esset solum exsangue cadaver. Ergo.

Diximus autem in enuntiatione propositionis, totum Christum sub singulis cuiusque speciei partibus contineri, separatione facta; quia hoc solum definit Tridentina synodus. Theologi tamen passim docent, etiam ante factam separationem totum Christum contineri in singulis cuiusque speciei partibus, eo quod assequi non valeant, qua ratione verba consecrationis, que jam transierunt, possint, facta separatione specierum, Christi corpus reproducere. Alii vero refragantur, cum nulla reproductione opus sit, ut Christi corpus habeatur in hostie fragmentis (4).

DIFICULTATES. Obj. 1. Symbola sub quibus Christi corpus et sanguis includuntur, distincta sunt, ergo etiam corpus et sanguis. Alioquin 2. Christi corpus aut sanguis Christus esset; 3. cum tamen Christus panem ostendens, ipsum dixerit corpus suum esse, et calicem porrigen, ipsum vocaverit sanguinem suum; 4. Equis porro sanæ mentis Christi corpus aut sanguinem Deum et hominem appellat? 5. Sane si Christus se totum esse sub qualibet specie significare voluisse, dixisset ego sum, minime vero, hoc est corpus meum (5). Ergo.

Resp. Ad 1. Neg. cons. Ex eo enim, quod symbola distincta sint, hoc unum sequitur, res nempe esse distincte significatas. Quare autem Christus voluerit hæc distincte significare, paulo post aperiemus.

Ad 2. Neg. pariter cons. Etenim hoc tantum sequitur ex doctrina catholicæ corpus ratione concomitantie, ut vocant, nunquam esse absque sanguine et anima et divinitate; ac vicissim nunquam sanguinem esse absque corpore, anima et divinitate; quia id necessario exposcit praesens Christi gloriosi conditio. Ex quo recte inferunt theologi, quod si apostoli consecrassent intra triduum mortis Christi, seorsim

(1) In serm. *De iis, qui filii Dei naturam scrutantur.* Opp. edit. Josephi Assemanni Rom. 1746. tom. iii. pag. 421.

(2) Epist. XLVIII, *ad pomach.* ed. Vall. tom. i. col. 223, ubi loquens de iis, qui eucharistiam non audebant in ecclesia sumere, domi tamen eam sumebant: «An alius, inquit, in publico, alius in domo Christus est?»

(3) Enarr. in ps. XXXI. loco sup. cit. Alia patrum testimonia cf. apud Bellarm. loc. cit. n. 13. et seqq.

(4) Cf. de hac controversia scholastica Vasquezum tom. iii. in p. s. Th. disp. CLXXXVIII. c. 1. et seqq.

(5) Ita Calvin. lib. iv. *Instit.* cap. 18. § 18. et seqq.

corpus et seorsim sanguinem hypostaticae tamen coniunctum cum divinitate, sub qualibet specie adduxissent.

Ad 3. Dist. Christus dixit panem esse corpus suum, ast vivum ac propterea una cum sanguine, etc., C. mortuum, N. Nam Christus per verba, que in consecratione protulit panem et vinum in corpus et sanguinem convertit in eo statu, in quo tunc erant, erant autem viva et invicem arctissime consociata.

Ad 4. Dist. Et eo ipso, quod Catholici sanæ mentis sint, id nunquam asseruerunt, C. aliter, N. Calvinus utique insanivit, dum affirmavit, Catholicoe appellare corpus Christi Deum et hominem; Catholici enim tantum dicunt, illud quod sub specie panis aut vini latet, esse Deum et hominem.

Ad 5. Dist. Si Christus præter realem sui præsentiam nihil aliud significare intendisset, C. si præterea voluit significare sub distinctis symbolis passionem et mortem suam, ac instituere sacrificium, N.

PROPOSITIO II. — *Peracta consecratione, in admirabili eucharistiae sacramento est corpus et sanguis D. N. I. C. et non tantum in usu duin sumitur; sed ante et post, ita ut remaneat verum corpus Domini in hostiis, seu particulis consecratis, que post communionem reservantur vel supersunt.*

De fide est, totidem enim verbis cone. Trid. sess. XIII. can. IV. eam definit: *Si quis dixerit, peracta consecratione, etc.* Quæ definitio, uti jam innuimus, lata potissimum est aduersus Lutheranos contendentes nonnisi in usu, perinde ac sacramenta reliqua, eucharistiam consistere (1), ex quo pariter inferabant, eam nec asservari posse, nec deferri ad infirmos, cui errori alium canonem opposuit Tridentina synodus, nempe VII. qui ita se habet: *Si quis dixerit, non licere sacram eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distri-*

(1) Courayerius in suis annotationibus ad Hist. Conc. Trid. a paulo Sarpo conscriptam, studium omne contulit, ut emolliat doctrinam lutheranorum, contendens quæstionem, qua agitatur inter catholicos et lutheranos, potius vocis esse quam rei. Etenim Catholicus, scribit ipse, asserendo eucharistiam non inficiantur consecratione referri semper ad usum, lutherani vero non ita coarctant præsentiam Christi in eucharistia ad momentum, seu ad instans assumptionis sive usus, ut non fatentur eam sese extenderet ad omnes actiones, quæ relationem aliquam ad ipsum habeant. Discrimen igitur, pergit ipse, est potius in praxi quam in dogmate, in eo scilicet, quod lutherani contendunt sacramentum non esse asservandum, nisi propter solum usum, minime vero, ut faciunt Catholicus, ad hoc, ut tanquam objectum adoracionis præterea constituant, ac deferant in publicis supplicationibus, ac publicæ adorationi exponant absque ulla relatione ad communionem. In hoc affirmari potest, quod si mos servandi eucharistiam propter infirmos magis sit consentaneus antiquitati, mos tamen eam præcise servandi, ut efficiatur objectum cultus, sit absolute contrarius praxi Ecclesiæ primitive, cuius nullum appareat in tota antiquitate vestigium. Ita hic postillator apostata. At multiplici ratione labitur. De vera enim sententia lutheranorum constat 1^o ex concilio Tridentino; 2^o ex argumentis lutheranorum; 3^o ex collatione, qua ab ipsis fit eucharistia cum sacramentis reliquis, que in actu transeunte consistunt seu perficiuntur; 4^o ex praxi lutheranorum; 5^o ex ipsorum confessione, ac Leibnitii, cuius verba proferemus. Falsum præterea esse, quod assumit Courayerius de usu seu praxi antiquitatis, comparata cum praxi præsentis Ecclesiæ, luculent ostendemus.

buendum: aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur, anath. sit.

Ita porro catholica hæc veritas ex verbis institutionis evincitur: antequam apostoli manducarent aut biberent, verba Christi; *Hoc est*, etc. *Hic est*, etc. vix proleta, et vera et efficacia fuerunt, ac opera sunt conversionem quam significant. Ergo eucharistia neque in solo usu, neque in sola consumptione consistit. Imo vero fuissent etiam in hypothesi quod apostoli manducare aut bibere recusassent.

Omne præterea dubium dispellit universa traditio, ex qua constat. 1. eucharistiam fuisse per diaconos ad absentes delatam, testibus s. Justino (*Apol. I. n. 67*), et s. Irenæo (1); 2. fuisse asservatam propter infirmos, ut liquet ex historia Serapionis, ad quem jamjam animam agentem infirmus sacerdos eucharistiam per puerum misit (*Cf. Euseb. ib. lib. VII. cap. 44*); 3. a laicis passim ad proprias ædes fuisse delatam, ut ea pro opportunitate uterentur, constat ex Eusebio (2), et s. Ambrosio (3), cuius consuetudinis vestigia adhuc nonnulla supererant sec. Ecclesie XI (4); 4. asservatam in templis fuisse in pastophorii, ciboriis, columbis, turriculis (5); 5. in ecclesia græca eamdem consuetudinem viguisse, patet ex antiquissima ac celebri Missa præsanctificatorum, quæ celebratur cum eucharistia diebus præcedentibus consecrata. (6). Hæc fatetur Calvinus scribens: *Qui sic faciunt, havent veteris Ecclesiæ exemplum. Fatorum in re tanta, et in qua non sine magnō periculo erratur, nihil tutius est, quam ipsam veritatem sequi* (*Lib. IV. Inst. cap. 17, § 39*); quam ipse scilicet cum Luthero tandem aliquando invenit.

Veritatis luce compulsi protestantes non pauci vietas demum manus dederunt. Nobis hic satis sit Leibnitii verba preferre: *Certum est*, inquit, *antiquitatem tradiisse, ipsa consecratione fieri conversionem, quammodum apparet ex verbis Ambrosii præculo ante allias, neque unquam veteribus auditum est novum quorundam dogma, quod in momento perceptionis denum adsit corpus Christi. Certum enim est, nonnullos sacram hunc cibum non statim consumpsisse, sed alias misse, et secum domum, imo in itinera, in deserta tulisse, eumque morem aliquando fuisse commendatum, quanquam postea abrogatus sit majoris reverentiz causa: et pro-*

(1) Apud Euseb. H. Ec. lib. v. cap. 24.

(2) Lib. vii. cap. 41. cum adnot. Valesii.

(3) In Orat. funeb. s. Satyri cum adnot. edit. Maur.

(4) Id constat ex serm. synediali s. Udalrici juxta Gretzum, vel Ratherii episcopi Veronensis juxta Valesium, qui floruit sec. X. in quo hic usus nominatum interdicitur his verbis: «Infirmos visitate, et eos reconciliate, et iuxta Apostolum oleo saucto inungite et propria manu communicare, et nullus presumat tradere communionem laico aut feminae ad deferendam infirmo.»

(5) De his fuisse agit Pellicius in op. cit. de Ecclesiæ politia tom. iii. diss. 1. Hunc porro usum antiquissimum esse in Ecclesia, constat ex Constitut. apostolicis lib. viii. cap. 15. ubi fit mentio pastophorii, in quo eucharistia asservatur; legitur enim: Καὶ ἐπει τὰ πάντα μεταβάσων καὶ πάσαι, λαζάρου ἀ δάκων τὰ περιστένατα, περιστένατα δὲ τὰ πατερίδα. «Cumque universi et universæ communiceaverint, accipientes diaconi superersint, inferant in pastophoria.» Ex quo solo documento falsitas arguitur Courayerius.

(6) De his missis præsanctificatorum cf. Gourarium in Euchologio ed. cit. pag. 203.

fecto aut falsa sunt quæ a sacerdote pronuntiantur verba institutionis, quod absit, aut necesse est, quod benedictum est, esse corpus Christi, etiam antequam manducetur. Ut iaceam, qui sic sentiunt, in tricas incidere, utrum in labiis, aut in ore, aut in gula, aut in stomacho primum incepit, an ne in hoc quidem, si vitio ejus symbola non consummantur (*In Syst. theolog. p. 228 et seqq.*). Quo sane nihil præclarius in rem nostram dici poterat.

DIFFICULTATES. *Obj.* 1. Christus eucharistiam instituens, præcepit apostolis, ut statim illam absument, ne quidpiam de ea remaneret, 2. prout de agno paschali ac de manna, hujus sacramenti figuris, præcepérat Moyses. 3. Neque obstant exempla de servata interdum eucharistia, quia cum non servaretur nisi ad usum, ea potius evincunt ad solum usum, seu comestionem institutam a Christo fuisse. 4. Quis præterea ignorat, morem obtinuisse in Ecclesia septem prioribus seculis, tradendi igni, aut pueris, aut jejunii clericis absumendas superstites e sacrificio particulas, ne in crastinum servarentur, uti testes sunt concilii Matisconense II. in Galliis, an. 585 celebratum (1), Gregorius Turonensis (2), Hesychius, qui sec. septimo ineunte floruit (3), aliqui non pauci? Ergo.

Resp. I. Neg. cons. Hæc enim solum evincerent eucharistiam diu saltē asservandam non esse, minime vero, prout adversarii contendunt, non adesse Christi corpus statim a peracta consecratione, vel postea.

Resp. II. Ad 1 Dist. Ita ut Christus vetuerit eucharistiam servari utilitatis, aut necessitatis gratia, N. secus, Tr. Praeceptum enim positivum, cuiusmodi est istud, quod Christus dedit apostolis in cena, indicat tantum quid præstandum sit ad præcepti normam, non autem est universale, cuiusmodi est præceptum negativum. Ejus vis præterea ex usu dignosci debet (4), usus autem Ecclesiæ, ut vidimus, nobis suffragatur.

Ad 2 Dist. Ita tamen ut non in omnibus semper figura figurato respondere debeant, C., in omnibus prorsus, quasi figura debeant veritatem figurati adquare, ut loquitur s. Thomas, N. Alioquin tum succinctio renibus, tum baculum gestantes, inter cœnam debheremus eucharistiam sumere, quod nemo certe contendet. Accedit manna non modo tota die sabbati servari solitum, sed pluribus seculis in area asservatum esse; sed etiam panes propositionis, qui pariter figura fuerunt eucharistia, super altare tota hebdomada depositos stetisse.

Ad 3 Neg. Sed eucharistia servata ad usum solum evincit hunc esse finem primarium institutionis, quod non inficiamur. Addatur veteres identidem non ad solum usum, sed ad alios fines præterea eucharistiam

(1) Can. VII. apud Hard. acta conc. tom. iii. col. 462.

(2) Lib. i. De gloria MM. cap. 10. edit. Ruinart. Paris, 1639. De eodem argomento loquuntur Evagrius lib. iv. cap. 36. et Nicephorus lib. xvii. H. Ec. cap. 25.

(3) In Letivic. lib. ii. cap. 8. edit. Basil. 1527. fol. 49.

(4) Bellarm. De Euchar. lib. iv. cap. 5.

asservasse, interdum scilicet ad se tutandos in itinere, ut de s. Satyro exploratum est, teste s. Ambrosio; interdum ad recuperandam valetudinem, ut de pia somnia refert s. Augustinus (*Oper. imperf. lib. III. cap. 162*), interdum ad majorem hæresim detestationem significandam, ut Theodorus Rom. pontifex, qui Christi sanguine tanquam atramento usus est in damnatione Pyrrhi; atque ut alia ejusmodi exempla præterea, summi pontifices Victor et Pius transmisserunt eucharistiam ad episcopos in signum communionis (1). Demum aliud est servari eucharistiam ad usum, aliud vero non agnoscere Christum realiter præsentem in eucharistia ante hunc usum. Hoc debebant ostendere adversarii, ut aliquid proficerent, quod nunquam profecto ostendent.

Ad 4 Dist. Ob peculiares causas et quidem in particularibus nonnullis ecclesiis, C., eo quod credetur eucharistiam vel in solo usu consistere, aut asservari non posse, N. Porro non una fuit causa cur in nonnullis ecclesiis diu non servaretur eucharistia; ac 1. ne ingruente persecutione impiorum profanationi exponeretur; 2. ne ex diurna asservatione vitium aliquod forte contraheret, ita ut nemo illam amplius degustare posset, prout habetur ex Hesychio; non vero ne servaretur in crastinum (2). Sane si in Matisconensi concilio prescriptum fuit, ut quarta vel sexta feria ab innocentibus ac jejunis superstites ex missa reliquia percepientur, evidens est reliquis diebus fuisse asservatas. 3. A Caesaraugustano vero et Toletano concilii prohibita fuit conservatio eucharistie, ne sese priscillianista obtegerent non communicando in ecclesia, eamque secum deferrent ut profanarent.

PROPOSITIO III. — *Christus in eucharistia adorandus est cultu latriæ.*

De fide est: synodus enim Tridentina aduersus hunc cultus obrectatores hunc canone VI. sess. XIII. edidit: *Si quis dixerit in sancto eucharistiae sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiariter celebrante venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras, anath. sit.*

Et recte quidem; dogma enim de permanentia Christi in sacramento ita conjungitur cum ejus adoratione ex sententia ipsorum calvinistarum, ut absque impictate unum ab altera nequeat separari. *Nam illum eundem Deum*, inquit Tridentini patres, *præsentem in eo (sacramento) adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum dicit, et adorent eum omnes angeli Dei, quem Magi procidentes adorav-*

(1) Ut refert s. Irenæus in ep. ad s. Victorem apud Euseb. H. Ec. lib. v. cap. 24.

(2) Cf. loc. cit. Ceterum in aliis ecclesiis asservari solitum fuisse hoc sacramentum a parte tradit Gregorius Turon. lib. cit. De gloria MM. cap. 86. ubi refert miraculum patrum, dum diaconus vellet deferre turrim (id est vas in quo continebatur eucharistia) ad altare, ut ibi reponeretur.

runt, quem denique in Galilaea ab apostolis adoratum fuisset Scriptura testatur (Sess. XIII, cap. 5).

Ad hanc accedit universa traditio: etenim s. Joan. Chrysostomus dicit, non solum homines, sed et angelos in missa sacrificio presentem Deum adorare (1); s. Cyrillus Hieros. praecepit, ut communicandus pronus et adorationis in modum accedat (Catech. mystag. V. n. 22). Theoderetus: *Symbola mystica*, inquit, et creduntur et adorantur (Dial. 2. edit. cit. tom. IV, p. 85). S. Ambrosius exponens verba ps. XCIVIII. *Adorate scabellum pedum ejus. Per scabellum, scribit, terra intelligatur, per terram autem caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, et quam apostoli in Domino Jesu adorarunt* (2). Verba s. Augustini superius retulimus testantur: *Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit*.

Et hanc quidem quoad adorationem, quam recte Clausen doctor protestans vocavit consequentiam *logicam* dogmatis de reali Christi praesentia (3); quoad modum vero exterioris cultus, eum determinare ac moderari ad Ecclesiam spectat, que juxta diversa et temporum, et locorum, et rerum adjuncta statuere potest, quod communis utilitati magis conferre judicaverit. Hinc apposite Leibnitius: *Adoratio, scribit, sacratissimi eucharistiae sacramenti, tametsi non semper aquae usitata fuerit, laudabiliter tamen pietate recepta est. Primi enim christiani in omnibus, que ad externam cultus demonstrationem pertinent, christiana simplicitate utebantur que quidem reprehendi non possunt; intus enim animi vera pietate flagrabant; cum vero paulatim refrigericeret zelus, necessarium fuit adhibere exteriora signa, ritusque solemnes instituere, que officium admonerent, ardoremque devotionis resuscitarent, pra-*

(1) Hom. XXVIII. ad pop. antioch. eadem habet lib. vi. de sacerdotio; hom. LXXXIV. in s. Matthaeum et aliis passim.

(2) Lib. m. de spiritu sancto cap. 11. n. 78. et 79. in quem locum cf. annot. edit. Maur. Cf. de hoc argumentum *Traité du sacrement de l'Euchar. par le card. du Perron* liv. m. chap. 1. suiv. ubi ipse omnia pene antiquitatis documenta expendit, quea luculent ostendit, verum latrice cultum Christo in eucharistia semper fuisse exhibitum.

Ex his refellitur etiam Beausobrius, qui in sua *Histoire de Manichée* liv. ix. ch. 1. contendit, etate s. Augustini catholicos non exhibuisse eucharisticum cultum latrice, sed solam quamdam venerationem, qualis decet symbola sacra, que referunt imaginem corporis et sanguinis Christi, sic enim scribit § 7. «La vérité est que ces derniers (les catholiques) n'avaient pour le pain et pour le calice qu'un res, et religieux, fondé sur ce que ces éléments n'étaient plus un pain et un vin commun, dont l'usage est uniquement de nourrir le corps, mais un pain et un vin mystiques, c'est-à-dire, les figures, les mémoires, les sacremens du corps et du sang de J. Christ.» At falsitatis hunc scriptorem arguit tum s. Ambrosius, tum s. Augustinus; s. Ambrosius quidem qui loc. cit. disserunt de natura cultus, quem catholicis deferebant eucharistie, profiter se loqui de cultu latrice, de eo scilicet cultu, qui solo Deo debetur, at enim n. 78. «Neque adorandum quidquam præter Deum legimus, quia scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis et ipsi soli servies*. Quomodo ergo adversus legem Prophetæ præcipieret, sub lege nutritus, et eruditus in lege? Non metuocoris igitur quæstio, et ideo diligenter consideremus, quid sit scabellum. Legimus enim alibi: *Celum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum*. Sed nec terra adoranda est nobis, quia creatura est Dei. » Pergit deinde n. 79. ad exponentium scabellum de carne Christi. S. Augustinus iisdem verbis utitur, ut superius vidimus.

(3) Apud Lesslinger op. cit. *Apologie de la religion ca-*

sertim ubi magna ratio, aut occasio esset (1) : nulla autem facile major præberi christianis potest, quam quæ se offert in divino hoc sacramento, ubi Deus ipse nobis presentiam assumpti corporis præstat!.... Itaque, si unquam, tum certe maxime conveniens fuit adorationem institui: recteque adeo introductum est, ut in sacramento eucharistie, externi christianorum cultus quasi summum fastigium collocaretur, quod ad supremum etiam cultum christianorum internum, hoc est, divinum amorem inflammandum, et charitatem testandam atque extrendam a Salvatore est institutum (2).

DIFFICULTATES. — *Obj.* 1. Christus eucharistiam instituens nullum dedit adorationis præceptum; 2. imo neque Patres aliquando latrice cultum commendarunt, sed solum reverentiam sacris mysteriis debitam; et jure, quia 5. si Christus esset cultu latrice in sacramento adorandus, eodem cultu debemus prosequi creaturas omnes, cum in omnibus Deus sit substantialiter præsens; 4. ab *atolatria* prouide Catholici excusari nullatenus possunt, qui sin minus panem, saltem panis species una cum Christo adorant; 5. juxta Tridentinorum Patrum doctrinam, qui sess. XIII. cap. V. affirmant: *Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento a fideliis exhiberi*; 6. saltem eo nomine hæc adorationis praxis rejici debet, quod fideles idololatriæ periculo exposuit, cum sive malitia, sive incuria sacerdotis, sive denique ordinationis defectu fieri possit, ut hostia, que adoranda proponitur, consecrata non sit. Ergo.

Resp. Ad 1. *Dist.* Non dedit Christus in institutione eucharistie præceptum adorationis expressum, *Tr. tacitum sive implicium*, *N.* Satis enim aperte Christus significavit deberi eucharistie cultum latrice, dum significavit se vere, et realiter esse in

tholique par des auteurs protestants, art. du Sac. de l'autel. Lutherus ipse sub finem vite sue vocavit eucharistiam Sacramentum adorabile. Quare acriter vapular a Calvinio, qui in ep. ad Bucerum: «Quorsum, inquit, illud Lutheri adorabile Sacramentum, nisi ut idolum in templo Dei erigatur?»

(1) Cf. Bolland. *Acta ss. mensis apr. ad diem V. In vita B. Julianæ Leodiensi*. Huc etiam referunt miraculum, quod Vulsonii prope Urbem veterem contigit an. 1264, in sacerdotem Belga Romanum petente, qui dum subdubitaret missam celebrando de reali Christi praesentia, contigit, ut in hostie fractione sanguinis gutta diffundens quibus respersum est linteum ac altare (quas quidem maculas imaginem Salvatoris praeserentes tum Vulsonii super altaris lapides tum Urbeveteri super corporale non semel meis ipse oculis conspecti.) Quo miraculo permotus Urbanus IV. qui Urbeveteri tunc degebatur, denum institutum festum Corporis Christi. Cf. *Histoire des disciples manente de Orvieto*, Venez. 1561. lib. u. pag. 129. et *Commentarii historici di Monaldo Monaldeschi* lib. vii. pag. 47. tum *Synodus diece-sanaum Fr. Josephi della Corgna*. Urbev. 1677. pag. 179. tit. 55. De hoc ipso miraculo agit Bened. XIV. de Festis cap. 15. n. 6.

(2) *Syst. theol.* pag. 238. et seqq.
Leibnitio inter ceteros addi potest Hierem. Taylor episc. protestans anglicanus qui aperte scribit: «Objectum eorum (catholicorum) adorationis in ven. sacramentum est unus, verus et æternus Deus hypostatico conjunctus cum sua sancta humanitate, quam humanitatem ipsi credunt actuiter presentem sub velo signorum sacramentalium; et si putarent ipsum non esse præsentem, tantum absunt ab adorando pane in hoc casu, ut profiteantur, id præstare, esse idololatriam» Cf. ejus lib. *de libertate prophetandi* cap. 20. ex his obstruitur recentioribus protestantibus, qui idololatrie incusant catholicos in latrice cultum, quem deferunt Christo in eucharistia.

hoc sacramento, cum scriptum sit: *Dominum Deum tuum adorabis*. Oritor siquidem necessitas hujus cultus ex ipsa rei natura.

Ad 2. *Neg.* Etenim s. Augustinus de ea loquitur adorationem, quæ creaturis deferri nequit absque impietate. s. Cyrilus de ea, quæ debetur supremo regi; s. Jean. Chrysostomus de ea, quam exhibuerunt Magi, negabatque Paulus Samosatenus (1). Perperam igitur Salmasius admittit Patrum auctoritatem eludere.

Ad 3. *Neg. paritatem.* Nam in eucharistia unum solum est suppositum diuinum cui tribuimus adorationem; in creaturis adest quidem Deus substantialiter præsens, sed non est cum illis unum suppositum, neque Deus et creature unum sunt per hypostasis unionem.

Ad 4. *Neg.* Siquidem Catholicorum adoratio dirigitur in Christum Jesum. Quomodo enim ipsi adorare possent panem, cuius substantialiam per consecrationis verba conversam in Christi corpus esse profitentur? Sed neque species adorare possunt, cum iste ex recepta philosophorum doctrina non sint nisi affectiones subjectivæ anima nostræ ortæ sive excitatae occasione corporum. Nec desunt qui contendant in casu nostro has ipsas affectiones a Deo ipso immediate produci ex occasione eucharistie (2).

Ad 5. *Dist.* Docent Tridentini patres a fideliis latrice cultum exhiberi sacramento, prout sacramentum dicit rem signatam seu Christum ipsum, *C.* prout tantum dicit signum, *N.* ut patet ex contextu et ex can. VI. superius recitato (3).

Ad 6. *Dist.* Hæc adorationis praxis fideles exponit periculo idololatriæ materialis, *Tr. formatis*, *N.* Alioquin non a sola adoratione, verum etiam ab ipsa sumptione abstinendum ipsis foret, quod profecto nec novatores admittunt. Nonne propterea Lutherani, Leibnitio teste, adorationem in ipsa perceptione eucharistie exhibent (4)?

PROPOSITIO IV. — *Neque Dei præceptum, neque salutis necessitas postulant, ut omnes et singuli Christi fideles utramque speciem sanctissimi eucharistie sacramenti sumere debeant.*

Hæc propositio, quæ necessario pariter fluit ex veritate precedentium propositionum (5), de fide est quam Tridentinum sanxit sess. XXI. can. I. Si

(1) Notus est versus Juvencii presbyteri relatus a s. Hieronymo lib. I. Comment. in Matth. cap. 5. «Thus, aurum, myrram, regique, homiaque, Deoque dona ferunt.»

(2) Cf. Emman. Maignan ord. Minim. *Philosophia sacra*, Tolose 1661. tom. I. cap. 21. prop. 5. et seqq.

(3) Exinde patet, quam inepte Paulus Sarpius carpit Tridentinos patres, quod sess. xiii. cap. 5. docuerint, hinc sacramento deberi cultum latrice. Quare pariter non accusavit universa Ecclesia, quod canat: *Tantum ergo sacramentum veneremus cernu*? Sed cf. Pallav. lib. xii. Hist. Conc. Trid. cap. 7.

(4) *syst. theol.* pag. 262.

(5) Hoc pariter ingenui fassi sunt nonnulli protestantes, inter quos Dr. Clausen, qui scribere non dubitavit: «Admittendo transubstantiationem, fatendum est, difficultates adversus communionem sub utraque specie parvi ponderis esse relate ad dogma ac plenitudinem sacramenti.» Apud Esslinger, op. cit.

quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi eucharistie sacramenti sumere debere, anath. sit.

Tom ex præcepto divino, tum ex necessitate salutis, unumquemque fidelem teneri ad participationem eucharistie sub utraque specie, omnium primi docuerunt Petrus Dresdenijs ludimagister et Jacobellus concionator Misnensis (1); horum partes suscepit Joannes Hus; quos omnes damnavit concilium Constantiense. Hunc postea errorem instauravit Lutherus, demum vero Calvinus qui, quamvis suis non reliquerit in sacramento nisi sola ac nuda symbola, his tamen amarulentis convicia Ecclesiam catholicam arguit: *Ex eadem prodit officina (Satanæ) et altera constitutio, que dimidiam cœne partem meliori populi Dei numero vel furata est, vel eripuit: nempe symbolum sanguinis, quod laicis et profanis (his scilicet titulis Dei hereditatem insigniunt) interdictum, rasis et uncis in peculium cessit. Edictum aeterni Dei est, ut omnes babant* (2).

Nullum porro aeterni Dei edictum extare, quo omnes et singuli fideles teneantur eucharistiam sumere sub utraque specie, neque id exposcere necessitatem salutis, hoc incluctibili arguento adversus sectarios omnes ostendimus. Si quod esset Christi præceptum de sumenda ab omnibus et singulis eucharistia sub utraque specie, vel si aliqua salutis necessitas id exposceret, id profecto novisset Ecclesia, illa, inquam, Ecclesia, que immediate a Christo et ab apostolis sacramentum hoc accepit. Atqui numquam Ecclesia aut in verbis institutionis, aut in verbis promissionis præceptum ejusmodi agnovit, aut ejusmodi necessitatem. Ergo.

Jam vero minor propositi argumenti quatuor lueulentissimis ac publicis documentorum classibus evincitur. I. classis petitur ex communione agrotorum. Certe, si quod esset tempus, in quo diuinum præceptum de sumenda eucharistia sub utraque specie urgeret, et in quo nihil esset negligendum in iis, quæ necessaria sunt ad salutem, illud foret, in quo instat mortis periculum; atqui ubique terrarum, et quavis etate consuevit Ecclesia eucharistiam assertare sub una panis specie ad ejusmodi infirmos reficiendos, ut constat ex citata historia senis Serapionis, ad quem agrotans sacerdos, ex episcopi Alexandrini prescripto, sacrum edulium sub unica panis specie misit (3); nec non ex vita s. Ambrosii, ad quem pariter animam agentem, teste Paulino ejus biographo, s. Honoratus episcopus Vercellensis detulit Domini corpus, quod ubi accepit ac glutivit, emisit spiritum (4).

II. Complectitur communionem parylorum:

(1) Mirum est, quo furore sævierint Calixtinii adversus sacerdotes catholicos, eo quod ipsis recusarent usum calicis: ipsos passim cædebat, et durioribus cruciatibus subiciebat. Cf. *Histoire de l'hérésie de Wicelle*, *Jean Hus*, et *Jérôme de Prague*. Lyon, 1662.

(2) Lib. iv. Instit. cap. 17. § 47.

(3) Apud Euseb. H. Ec. Lib. c. 44.

(4) N. 47. In append. opp. s. Arubrosii edit. Maur.